



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Praelectionum Theologicarvm
Tomus ...**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Difficultas I. De genere in definitione Sacramenti ponendo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82982)

nisi in uno, cui conferuntur, causant gratiam. Tum quia illis significantibus gratiam, alii essent suscipientes Sacramenta, nempe Personæ veteris legis; alii quibus conferretur gratia, nempe nos. Tum quia sequeretur, quod causent in nobis gratiam ex opere operato, siquidem independentem a merito; immo si Sacramenta veteris legis nunc causant gratiam, sequitur illa non esse abolita, cum causalitas illorum, non sit abolita.

Dices Tertio. Sacramenta veteris testamenti vel erant ipsa promissiones, & sic habentur intentum; quia promissio causat moraliter rem promissam; si non erant promissiones, sed nonnulli memorialia promissionis, sic adhuc causabunt gratiam; quia etiam talia Signa causant moraliter rem promissam.

RESPONDETUR. Talia Signa non causare moraliter, sed solum sunt signa causativi, totaq; causalitas illorum stabit in esse Signum Causativi, hoc est; promissionis: quod non est causare, nisi valde figuratè. Sicut Iris non causat carentiam diluvii, sed est signum causativi carentiæ diluvii, nempe promissi divini. Si tamen etiam hoc abusivum Causativum intelligas, jam adifices abusivas phrasas & figuratas, ut infringas dogmaticas locutiones Sacras, quæ ponunt, a Sacramentis veteris legis, non causari gratiam.

INSTABIS. Deus etiam hoc titulo, quod intueretur illa Sacramenta, movebatur ut promissam gratiam impleteret.

RESPONDETUR. Movebatur tanquam Signis promissionis, adeoque Signis causativi, non movebatur tanquam promissionibus, consequenter ex ipso causare, redibitur ad promissionem.

DIFFICULTAS I.

De genere in definitione Sacramenti ponendo.

I. Sententia ponit pro genere causam; pro ea Scitatur S. Thomas 4^{to} in dist. 1. q. 1. a. 1. Eam sequuntur Capreolus & Palacios.

II. Sumit pro genere Rationem Signi; pro ea sunt S. Thomas 3^o parte q. 60. a. 1. & 2. Scotus, Vasq. Valentia.

III. Assumit Rationem Signi & Causæ; Eam docet Suar. Con. Amicus, disp. 1. n. 7. Lugo disp. 1. n. 8.

DICENDUM est: Quod ratio Signi Causativi, seu, ut loquitur Trident. Sess. 7. Cant. 6. de Sacramentis in communi, Ratio Continentis & significantis, est ratio generica omnibus Sacramentis

communis. Quoad primam partem, nempe quod Ratio signi sit genus, sunt tot locutiones sacræ & per vulgata illa phrasis; Sacramentum est Signum rei sacræ, desumpta ex Augustino. 10. de Civit. cap. 10. Florent; etiam dicit, quod vetera Sacramenta, gratiam Christi per passionem dandam figurabant. Deinde Trident. citatum dicit: Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant, &c. anathema sit. Ex his ergo authoribus formatur Argumentum.

RATIO Communis Sacramentis novæ & veteris legis, est ratio generica; sed ratio signi est talis: quia Florent. de Sacramentis veteris legis dicit, quod figurant gratiam; dicit etiam id Trident. de Sacramentis novæ legis, quod significant gratiam; quæ ipsa ratio sic urgetur. Ratio Significantis in Sacramentis novæ legis à Concilio agnita, vel est differentialis, vel communis pluribus. Si communis pluribus; habetur intentum; si est differentialis; ergo Sacramenta veteris legis, erunt Sacramenta veteris legis, ut supponitur; & non erunt: quia habebunt rationem differentialem convenientem Sacramentis novæ legis, cum rationem figurantium agnoverit in illis Florent.

POTIOR DIFFICULTAS est. An ratio causæ assumenda sit pro genere?

Assumendam esse, PROBATUR primò auctoritate, quia Concilia & Patres indiscriminatim utrumque hoc assumunt; & ita Trident. Sess. 6. can. 7. vocat baptismum instrumentalem causam nostræ justificationis; infra autem Sess. 7. citata, tribuit illis Rationem Signi in ly, Quam significant Rursus; locus ille S. Thomæ in 4^{to} cum loco ex 3. parte, concordantur, utrumque hoc assumendo pro genere, quamvis autem a. i. ad primum dicat Sacramentum non denominari ab aliquo quod se habeat, ut causa effectiva, intelligendus est textus ut sonat, nempe quod sub denominatione & appellatione Sacramenti, non nisi importet rationem Signi.

PROBATUR secundò. Sacramenta novæ legis causant gratiam, ut dictum ex Trident. Sacramenta etiam veteris legis causabant sanctitatem legalem; hinc quæro, vel potest prædicari de utroque Sacramento ratio causæ, vel non potest? si potest; habetur intentum; si non potest; ergo neque potest prædicari, quod Sacramenta novæ quidem legis gratiam, veteris autem sanctitatem legalem causarint. Nam de quo non potest dici ratio animalis, de eo non potest dici ratio rugibilis: & quia ad causare sanctitatem legalem, & ad causare gratiam, est genus ipsum causare; si causare dici de illis non potest, nec tale causare dici poterit.

RESPONDEBIS Primò. De homine picto non potest dici absolute, & sine addito, homo; & tamen potest dici de homine, homo pictus: ita etiam quamvis non possit dici de Sacramentis quod

*(B) 4

sunt

sint causa, potest tamen dici, quod sint causa sanctitatis legalis.

CONTRA. Tum quia dispar ratio est, nam de homine picto non potest dici, homo simpliciter, quia non potest dici definitio, quod sit animal rationale: jam autem de Sacramentis legis veteris, in quantum principiabant sanctitatem legalem, potest dici definitio Causæ. Tum quia homo ad hominem pictum, non nisi æquivocè se habet; jam autem non æquivocè, causant Sacramenta vetera, sanctitatem legalem; Et quamvis diceretur sanctitatem legalem ad sanctitatem appropriatam æquivocè se habere, id non convinceret: quia non quæritur hic de termino causationis, sed de ipso prædicato causandi: nam æquivoca sunt, v. g. canis marinus, & canis venaticus, nihilominus ipsæ Causæ non æquivocè conveniunt in ratione causandi. Tum quia nec ex usu, nec ex ratione ostendi potest, quod nomen causæ, restringatur non nisi ad Sacramenta novæ legis, sicut animal restringitur, vel homo ad rationem veri.

RESPONDEBIS Secundò. Quod ratio causæ conveniat quidem Sacramentis, sed non primariò.

CONTRA. Tum quia quamvis, ut dixi supra, sub nomine Sacramenti, id illi non conveniat, sed quod non conveniat secundum rem illo nomine significatam, probari debuisset; cur enim non primarium erat in Sacramentis veteris etiam legis, causare sanctitatem legalem, & in nostris causare sanctitatem appropriatè dictam. Tum quia, quamvis sub aliqua formalitate magis interdum competat homini ratio viventis, quam ratio sensitivi; & ita prout actu intelligens, magis vendicat rationem viventis, hoc est; moventis sese ab intrinseco, quam sensitivi; & tamen vivens sensitivum, ponitur pro genere ejusdem; ergò etiam quantumvis sub aliqua formalitate, principalius competat Sacramentis ratio Signi, non sequetur rejici debere rationem Causæ: & licet non habeamus nomen, quod idem, signum & causam complectatur, ut animal complectitur vivens sensitivum; melius tamen id exprimit ratio Signi causativi, quia magis annexè, & magis ad unitatem accedendo, quam si ponatur signum & causa. Tum quia quodcunque fundamentum asseretur, quod Sacramentis primò competat ratio Signi, ea petetur ex differentiis specificis Sacramenti, non verò ex ratione generica; finge enim omne Sacramentum Sacramentum conferre perfectam sanctitatem, jam tum ratio signi non haberet, unde primatum vendicaret; & hoc ostendit, primatum Signi, deduci ex ratione Sacramenti talis, non autem ex generica ratione. Adde quod videatur ratio Causæ, potior esse in Sacramentis: nam hæc sola est; quæ tanquam ratione genericâ proximâ, discernitur ab aliis, quæ non sunt Sacramenta, quæ tamen signifi-

cabant gratiam, v. g. transitus Maris rubri; habebitque hæc ratio sic, ut animal respectu plantæ, à qua, genus ipsum quod est Animal dictum de homine, discernit immediatè hominem.

PROBATUR Tertiò. Constituendo divisionem Signi, potest illud dividi in signum practicum seu causativum, & in signum speculativum; ergò apparet quod ratio Signi, sit quasi vivens, & ratio causantis, quasi sensitivum; ergò sicut in definitione hominis assumuntur isti duo termini Vivens, Sensitivum; & malè assumeretur ipsum vivens; ita in definitione Sacramenti assumi debet Signum causativum.

OBJICIT Primò quidam. In ea ratione repugnare debet Sacramentum in communi, quæ denotet æqualiter in omnibus speciebus Sacramenti, habitudinem & attributionem essentialem, quam dicit Sacramentum necessariò in communi; sed si Sacramentum in communi ponatur sub genere causæ, non ponetur in tali ratione generica, quæ æqualiter denotet habitudinem & attributionem, quam essentialiter dicit Sacramentum in communi; Major probatur, quia cum genus pertineat ad essentiam rei, debet exprimere essentiam rei, eo modo quò illam constituit; & quia essentia Sacramenti est habitudo ad aliud, siquidem Sacramentum est necessariò Signum, signum autem est necessariò ad aliud, hoc est; ad signatum; ideo ratio generica debet hanc habitudinem exprimere, prout æqualiter in omnibus inferioribus contentam: quia quælibet essentialis ratio debet ab omnibus inferioribus æqualiter participari. Minor principalis probatur; habitudo seu attributio, quam dicit Sacramentum essentialiter & in communi, est Sanctitas perfecta; sed ratio Causæ, non exprimit æqualiter habitudinem hanc, nec enim illam exprimit in Sacramentis veteris legis, nam illa non conferebant sanctitatem perfectam, conferunt nostra.

RESPONDETUR. Major universaliter est falsa. Nam probat quod per Ens nihil definiiri possit, cum aliqua sint primò per se Entia, aliqua non nisi Entis Entia. Rursus non convincit illud, quod essentialis ratio debeat æqualiter ab omnibus inferioribus participari; nam Ens non æqualiter ad inferiora descendit, unde etiam agnoscitur in univocis impropria illa species Analogiæ, quæ est in æqualis participationis. Probat item multum argumentum: quia probat rationem Signi, hic non posse assumi pro genere; nam ratio Signi non æqualiter participatur à Sacramentis; nam vetera Sacramenta significant gratiam, non nisi pro postea ponendam, adeoque cum formalitate negationis gratiæ præsentis; jam autem nostra, significant gratiam præsentem, quantum est ex illis; quæ rationes sunt in æquales magisque distantes quam gratia legalis & appropriata; quia magis inter se distant, connotata negatio gratiæ, cum connotata positione

tione ejusdem, distant enim sicut esse & non esse; quam gratia legalis, & gratia appropriatè.

Directè ad argumentum dici potest negando minorem; porro habitudo quam dicit Sacramentum ad Sanctitatem, est ad Sanctitatem ut sic; habitudo autem ad Sanctitatem perfectam vel legalem, est habitudo Sacramenti in specie, hic autem definitur Sacramentum in Communi. Posset etiam concedi quod habitudo ad sanctitatem perfectam competat Sacramentis sub ratione Signi, sed non sub ratione Causæ. Addit DiCastillo disp. 1. num. 24. Quod univocatio non sit spectanda penes terminos ad quos est habitudo; nam actio est quid univocum, & tamen termini Substantia & Accidens, qui producuntur, univocè non conveniunt. Et certè tam verè Sacramenta vetera causabunt Sanctitatem legalem, quam nova appropriatè dictam; ergo in prædicato causæ, non erit differentia.

INSTAT idem. Ratio generica debet esse communis suis inferioribus, idque univocè; sed ratio causæ, non potest esse hic univoca; quia causare propriam & causare umbratilem sanctitatem, non est ratio univoca.

RESPONDETUR. Retorquendo argumentum de ipso Signo, in quantum illud extendebatur etiam ad significationem Sanctitatis legalis in veteribus Sacramentis, cum extendatur in Sacramentis novæ Legis, ad significandam Sanctitatem appropriatè dictam. Rursus; causa productiva Canis marini, & causa productiva Canis venatici, conveniunt univocè in genere causæ, cum effectus sint æquivocè convenientes; directè Respondetur, negando minorem, quia diversitas illa tota non petetur ex ratione causæ, sed nonnisi ex ratione terminorum, adeoque talis in specie causæ.

OBJICITUR Secundò. Sacramenta instituta sunt à Christo ad sanctificandos homines, ratio autem sanctificandi, est ratio causandi & efficiendi; ergo ratio causæ debet assumi pro ratione generica, non autem ratio Signi.

RESPONDETUR. Concedo à Christo instituta esse Sacramenta ut sanctificent, sed negotium instituta esse ut sanctificent, sed etiam ut significent; quod ostendunt phrasæ sacræ.

INSTABIS Primò. Si Signum ponitur pro genere, ly Causativum vel se habet ut formale, & sic non potest poni pro genere, vel se habet ut aliquid materiale; & hoc non: quia, ut inquit Amicus, quod est materia tam in novis quam in antiquis Sacramentis; est prius ipsa significatione, præsupponitur enim materia, ad significationem.

RESPONDETUR. Quod esse Causativum, habeat se pro formali, sed generico, adeoque comparatè ad differentiam ultimam pro materiali; & licet materia quæ assumitur ab institutore liberè, si prior præ ratione significandi, non tamen materia metaphysica Sacramenti, est pri-

or significatione, cum materia hæc metaphysica, sit genus, genus autem ex phrasi PP. est signum seu significatio, signum autem seipso non est prius; immò ex modo significandi, poni debet per modum principalioris Ratio Signi, ut ita melius attendatur ad nomen Sacramenti, à nobisque ratio Signi ponitur pro principaliori; quia substantivè posita, habet Rationem principalioris, substantivè autem ponitur Signum, adjectivè Causativum.

INSTABIS Secundò. Differentia contractiva generis debet esse in eodem prædicamento cum ipso genere, sunt enim differentie potestate in genere, ut vult Porphyrius; sed esse causativum, non est in eodem prædicamento cū Signo, Signum enim est ex prædicamento Relationis, Causativum ex prædicamento actionis.

RESPONDETUR. Quod differentia contractiva generis per ordinem ad totum per se & substantiale, debeat esse ejusdem generis; si enim non sit ejusdem generis, quæ erit totum per se substantiale. Cæterum differentia contractiva generis, per ordinem ad totum per accidens, potest esse ex diverso genere: non enim fundat totum substantiale; & sicut ipsum totum non est per se, ita nec exigit prædicata ad se invicem ordinata, consequenter poterit accipi ratio differentialis, ex diverso prædicamento.

INSTABIS Tertiò. Non differt imago per hoc, quod sit vel in cera vel in plumbo; ergo neque differt per hoc Sacramentum, quod sit causativum gratiæ, vel non causativum; quia illa formalitas, habet se per modum generis, genus autem, est quasi materiale quoddam in definitione; ergo vel ipsum Signum non potest poni pro genere Sacramenti, vel respectu illius ly Causativum, non est quid differentiale.

RESPONDETUR. Argumentum multum probat, nemque quod homo ratione sensitivi non differat à planta; ratio enim sensitivi, habet se per modum materialis. Directè dici potest, quod ratio generica diverso respectu sit formalis, diverso materialis; & sicut species subalterna diverso respectu est genus, diverso species; ita & illa differentia generica, &c. Quamvis autem ratio generica, non facit ultimum differre, facit tamen ab aliquibus, sufficienter differre.

OBJICITUR Tertiò. Habitudo causæ non est univoca in omnibus Sacramentis, nam vetera conferebant sanctitatem legalem, nova veteram; si ergo termini causati ab istis Sacramentis non conveniunt univocè, etiam habitudo causæ, non erit univoca, alias producatum pictum & vivum hominem esset idem univocè.

RESPONDERI potest, inprimis negando Consequentiam, quia in definitione præcipue Entiū per accidens, non est necesse accipere genus univocum, immò nec unum, si unum proximum non sit sufficiens Deinde Nego antecedens, licet enim termini productionis non sint univoci, fallum

falsum erit, habitudinem causæ, ut dictum supra, non posse esse univocam. Nego item quod producat leonem pictum & producat verum, non convenient univocè in ratione producentis, licet non convenient in ratione producentis leonem. Addo quod nullus detur verus influxus Leonitatis in Leonem pictum; datur vero influxus Sacramentorum veterum, in sanctitatem legalem, & sicut in illis productionibus leonis, est diversitas non in ratione productionis sed in ratione talis productionis; ita & in presenti.

OBJICITUR. Quarto. Absurdum est ut ejusdem Entitatis sint duo prædicata constitutiva essentialiter, quorum unum, non est altero prius.

RESPONDETUR. In primis Ratio Signi habet se per modum prioris; deinde licet Entis per se, non debeant esse duo constitutiva, non tamen Entis per accidens.

OBJICITUR. Quinto. Hoc quod est causa non potest appellari signum; Sacramentum est causa; ergo non potest appellari Signum. Major probatur: quia Signum convenit potius effectui quam causæ.

RESPONDETUR. In signo Sacramentali id quod signatur, est effectus, v.g. Gratia. sed id quod signat, negatur quod debeat esse effectus; præcipue si ipsum signum, sit causativum.

INSTABIS. Ratio Signi non est hic eadem, quia vetera Sacramenta significabant nostra Sacramenta; nostra autem non significant se ipsa.

RESPONDETUR. Sacramenta legis veteris non significabant primario nostra Sacramenta. Sed quamvis significarent, adhuc habitudo esset eadem: quia tota diversitas peteretur, ex diversitate specifica Signorum.

DIFFICULTAS II.

De differentia in definitione Sacramenti ponenda.

DICENDUM est, Differentiam per quam Sacramenta differunt ab aliis quibusque Signis, esse Sanctitatem. Unde definitur Sacramentum in communi sic: Est Signum Causativum Sanctitatis. vel; Signum sacrativum. Dixi potius Sanctitatis quam gratiæ, quia gratia sine addito donum supernaturale significat, quod tamen non conferebant vetera Sacramenta.

PROBATUR. Primo. Quia definitiva prædicata causæ sumuntur ex vi, quam habet, producendi effectus: hocque ostendit inductio fundata in hoc, quia hoc ipso illa causa non definiretur sub formalitate causæ ergo etiam Signum causativum, quale signum sunt Sacramenta, sumet suam definitionem ex vi causan-

di Sanctitatem: hæc enim est illius effectus, hæc autem vis, importatur in ly: Signum Causativum Sanctitatis.

PROBATUR. Secundo. Quia hæc definitio convenit omni, soli, & semper Sacramento proceditque per prima.

PROBATUR. Tercio. Quia quæcunque alia ascribibilis definitio, modo tangat Objectum, verbis non nisi ab hac differet, quod Signum est, illam veram esse: quia sicut objectum verum est, ita & veritas definitiva una.

OBJICITUR. Primo. Sacramentum debet esse quid sensibile, quæ ratio hic non importatur.

RESPONDETUR. Possibilia sunt Sacramenta respectu Angelorum. Ergo Sacramentum ut sic, non exigit esse Sensibile. Deinde si loquamur de Sacramentis humanis; sensibilitas Sacramenti includitur in ly Signum, quia respectu hominum, nihil habet rationem Signi, nisi sensibile.

INSTABIS. Saltem de Ratione Sacramenti est esse institutum à Deo, quod ipsum hic non ponitur.

RESPONDETUR. Institutionem includi in ly Sanctitas, cum enim solus Deus sit quid causativum Sanctitatis, si quod illam causat, non est Deus, debet esse instrumentum Dei, adeoque ab illo institutum.

OBJICITUR. Secundo. Dicta definitio non convenit soli; quia assumat Deus fumum, utaturque illo tanquam medio ad producendam gratiam, ille fumus erit Signum, & erit etiam causativus Sanctitatis, & tamen non erit Sacramentum. Ergo Sacramentum male definitur, per Signum Causativum Sanctitatis.

RESPONDETUR. Ly Signum non accipitur hic materialiter, seu pro eo, quod est effectum Signum, sicut fumus natus est esse Signum igitur, sed accipitur Signum formaliter & per ordinem ad gratiam significandam: fumus autem illo casu non foret signum significandæ gratiæ. Consequenter ly Signum Causativum, est hic terminus significatione incompleexus.

OBJICITUR. Tercio. Martyrium non est Sacramentum, & tamen est Signum causativum Sanctitatis.

RESPONDETUR. Primo Perez. Quod Sacramentum debeat esse designativum Personæ, & faciens illam personam partem civilem Reipub: sacræ, quod non fit per Martyrium, cum illud faciat, ut homo desinat. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT. Quia vi illius, casu, quo simul conjungeretur baptisatio & immediate mors, non esset eo casu per illum baptisatus, Sacramentum; quia non designat Personam, ut sit pars Reipub: sacræ, sed facit eum v.g. in mergendo mori. Deinde, etiam Martyrium facit Martyrem in ipso instanti, quo